

StK. 185

StK. 185

24 OBSERVATIONES  
IVRIS SAXONICI ELECTORALIS  
CIVILIS ET ECCLESIASTICI.



ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

D. CAROLO GOTTLLOB ROESSIG

PROF. PHIL. P. E. ADVOCATO ELECTORALI IMMATRICVLATO, SOCIETATIS OEC. LIPS.  
ET APIARIAE LVSAT. SVPER, MEMBRO HONORARIO, NEC NON HASSO-HOMBVR-  
GICAE CVM REGIA SVEC. HOLMIAE ET BAVARICO-PALAT. BVRGHVSANA  
MORVM ET OECONOMIAE IVNCTAE SOCIO

D. XIX. SEPTEMBER. A. C. ccccxxxviii.



DEFENDIT



FRIDERICVS AVGVSTVS WANCKEL

KELBRA - THVRINGVS.

L I P S I A E,

E X O F F I C I N A B V E S C H E L I A .

LIBRARY  
OF THE STATE LIBRARY  
OF SAXONY-ANHALT

THE STATE LIBRARY OF SAXONY-ANHALT



## O B S E R V A T I O I.

*Vtrum dominus jurisdictionis Patrimonialis in ea possit valide oppignorare bona ipsi propria, subsuaque jurisdictione sita, et alienare, an non possit?*

**I**urisdictionis, quae ex moribus et legibus Germanorum proficiscitur, naturae omnino convenire videtur, ut dominus bona, in pleno ipsius, dominio posita, ad ipsumque pertinentia, possit in jure patrimoniali, quod dicunt, valide oppignorare, quin etiam alienare. Convenit enim libertati Germanicae, quam fere in omnibus rebus, e moribus et legibus Germanorum ortis, aut secundum illas aliqua exparte formatis ac mutatis, deprehendimus; quae etiam in ipsis feudorum rationibus permultum elucet, atque in primis in jure Illustrium perspicitur. Valet id etiam de jurisdictione patrimoniali, quae ex moribus et iure Germanico potius, quam e Romano deducenda. At eo ipso jure Romano et aliis peregrinis irruentibus saepius ea, quae Germanicis moribus convenienter, immutata sunt, eoque factum, ut dubium saepius fieret - ut etiam proh dolor! apud nos saepius solet - quae sit vera justitiae sententia, aliis Romana, aliis patria jura probantibus: ideoque sane inter sapientissima Saxonici regimis instituta numerare possumus, ut collegia, juris dicundi causa constituta, in causis dubiis ad superiora referre jussa sint, a quibus in legibus, Decisionum nomine insignitis, definiatur, quid juris esse debeat. Eadem fuisse olim in Saxonia videtur ratio dubia in illo argumento:

Utrum dominus jurisdictionis patrimonialis in ea possit valide oppignorare bona ipsi propria, subsuaque jurisdictione sita, et alienare, an non possit? Viderur ea quaestio aliqua ex parte adversari Constitutioni XXIII. Part. II. quin etiam in sua ipsius causa judex cognoscere, et pluribus creditoribus eandem rem oppignarendo, fidei publicae et judiciali obesse posse videtur. At vero, si ulterius in rationem exercendi hanc jurisdictionem patrimoniale inquisiveris, vix, de quo dubites, relinquitur. Et enim, qui jurisdictione patrimoniali gaudet, abhibere debet legis jussu in ea exercenda, et in actibus peragendis, et actis conscribendis actuarium, quem dicunt, qui ad formam judicij pertinet. Est ille, quem vulgo vocamus Judicium Directorem, seu administratorem; in quo munus duplex deprehendimus, unum mandatarium, alterum actuarii, scilicet judicialis, ad formam judicij patrimonialis pertinentis, qui ex jussu legis \*) vir honestus, non dubiae famae, integer atque jurejurando muneri suo, praesentibus subditis, adstricetus, et juris, et tractandarum rerum in judicio peritis-

\*) Ord. proc Tit. 2. §. 1. und sithane ihre Gerichte mit ehlichen, aufrichtigen, und nach jedes Orts Gelegenheit genugsam qualificirten, und dazu geschworen Person zu besiegen.

simus requiritur\*). Quoniam itaque ad judicij patrimonialis formam actuarius, talis vir, requiritur: sane jurisdictionis dominus non potest omnia miscere, cum adsit alius, qui ad jus strenue dicendum et tractandum jurejurando adstrictus est, nec mandari, quae legibus plane contraria sunt, a domino jurisdictionis possunt. Sane itaque omni jure illam questionem dubiam Decisio XXXVIII, antiquasolvere ita potuit, ut si judicium actuario integrae famae, ac bono viro, et juris peritissimo, atque jurejurando muneri suo adstrictum sit, Domino jurisdictionis tunc omnino liceret:

Fundos allodiales, intra fines suae jurisdictionis sitos, coram proprio iudicio valide oppignorare.

At in ea Decisione neque in inscriptione, neque in ipsis Decisionis verbis deprehendo alienationem, ideoque hujus Decisionis auctoritate quaestio de oppignorandis hisce bonis tantum definita videtur, atque ad alienationem protracta non posse. Adjectit quedam Ord. proc. recognita partim in actuarii virtutibus, partim in eo, de quo quaerimus. In illis adiectum est, ut, elaborato specimine, causarum in foro agendarum licentiam acceperit, auctoritate Regininis supremi, et in ipso foro aliquor annos causas ventilaverit: sed ultrius videtur etiam, quod restrinxit decisio XXXVIII. ad alios contractus producere \*\*), adeo, ut Dominus jurisdictionis non solum propria sua bona (Erbgüter) posset pignori dare, et Creditoribus sortis securitatem in illis constituisse, si ea in actuario, seu judicij directore constituendo observata sunt, quae supra monuimus: sed protractat etiam eam dispositionem ordinatio recognita ad alios contractus, et quidem ita, ut non de singulis, sed in universum praecipiat, ut e verbis infra adiectis patet \*\*\*\*). At quorum haec dispergo?

Ut etiam alteram hujus quaestioni partem definiam ex mente legis, nempē: Urrum liceat Domino jurisdictionis bona sibi plane propria, s. allodia, in foro pro-

\* ) In civilibus notarii Caesarei publice creati dignitas von requiritur in eo, ex decis. vet. 38. Wir wollen unsre Procesordnung am obangezogenen Orte (tit. 2.) dahin erklärt haben, daß solche nicht eben von einem creirten kaiserlichen Notario, sondern einem jeglichen geschickten und tüchtigen Gerichtsactuarius zu verstehen u. s. w. Multis aliis vero ex cauillis necessarum est, ut notarii munus ipsi publicae collatum sit.

\*\*) Verba decis. sunt. Nachdem aber in unsrer Procesordnung (lit. 2.) allen und jenen, so von uns mit Gerichten beliehen, oder dieselben in Uebung haben, ernstlich eingebunden, daß sie nicht allein ihr Gerichte mit ehrlichen, unbescholtenen Personen besiezen sollen. So sehen wir außer Zweifel, daß ein Gerichtsherr, oder andere Obrigkeit, vor seinen, auf jetzt angezogene Maasse bestellten Gerichten, eine beständige Verpfändung seiner, in seinen Gerichten gelegenen Erbgüter aufrichten könne.

\*\*\*) Ord. recogn. ad tit. 2. §. 3. Sowohl der Gerichtsherr selbst für solche seine Gerichten nicht allein seine eigene, in seiner Jurisdiction gelegenen Erbgüter verpfänden, und die Gläubiger beständig darauf versichern.

\*\*\*\*) O. P. Rec. ad Tit. II. §. 3. Alterley Contrakte errichten, Verzicht leisten, ein Testament machen, oder hinterlegen.

proprio valide alienare eorumque emtionem venditionem celebrare et confirmare inconsulto superiore? Dubia possunt huic sententiae moveri haud levia. Lex verbis expressis alienationem haud nominat, inquis, neque producenda est, quoniam singulare quoddam videtur ipsum illud prius de oppignoratione? Respondeo: In ord. rec. verba adjici: Allerley Contracte errich-ten, Verzicht leisten, Testament machen. Quid impedit, his variis contractibus etiam alienationem annumerare. At certo certius definitur haec quaestio in lege de feudis Saxonis lata a. 1764. Lehnsmandat dicta, Tit. VI. §. 2. in quo loco in primis memoranda haec: Primum ut non solum declaret illum locum in ord. Prog. recog. et expressis verbis de alienatione interpretetur, sed etiam ipsi decisioni hanc tribuere videatur mentem, quae tamen de oppignoratione tantum loquitur. Definit haec lex plane hanc quaestio- nem, adjectis quibusdam novis. Removet in primis dubium illud: Quid si talia bona sunt cum feudo juncta? (Beystücke) Respondet lex: hoc nihil immutari; requiritur autem, ut ea bona Dominus jurisdictionis, feudi possessor, non una cum feudo, sed separatim acquisiverit. Quod si vero non sit; lex saltet id postulat feudalis, ut in litteris, quibus continetur emtio venditio feudi et horum bonorum allodialium, cum feudo junctorum, aut aliis contradicatur, v. c. permutatio, nec non in litteris de dividenda hereditate consecutis, Erbrecesse dictis, et aliis quibuscumque super titulo translati domini conscriptis, horum bonorum allodialium pretium peculiare et ab ipsis feudi aestimatione separatum sit. Quorum si alterutrum deficiat, nullitatis vi- tio laborat. Id unum excipit lex: Si dominus jurisdictionis expressam a Do-mino feudi superiore concessionem litteris (Schreiben) ex cancellis, quae de feu-dis acta consciunt (Lehnsexpedition) exaratis; acceperit.

Jam licet brevi colligere positiones; de hac oppignoratione et aliena-tione notandas:

Valet itaque, si

- 1) Judicium patrimoniale villae aut urbis ex lege, ut supra diximus, est instructum, et
- 2) si haec bona feudo juncta (Beystücke) separatim, non vero una cum feudo tanquam pars, licet heterogenea, acquisita sint,
- 3) aut si in litteris, de translato dominio horum bonorum allodialium con-sectis, pretium peculiare, et ab ipsa feudi aestimatione separatum, ius constitutum sit;
- 4) quae vero si non adsint, tunc tantum valide oppignorat, vel alienat ea Dominus jurisdictionis in proprio judicio si expressam concessionem lit-teris ex cancellaria feudali acceperit.

Non vero valet,

- 1) si in constitutione judicij patrimonialis horum, quae supra notavimus, aliquid deficiat;

- ~~~~~
- 2) si bona propria hereditaria sub Domini patrimonialis, vel urbis jurisdictione sita haud sint; si sicut emphitevtica, aut censitica, tunc etiam accedit consensus domini directi vel hereditarii \*).
  - 3) si bona haec propria hereditaria una cum feudo acquisita sint;
  - 4) aut ipsi incorporata; tunc ob naturam incorporationis partem feudi constituant.
  - 5) si pretium illorum sub feudi alienatione in litteris contractus comprehendatur, nec sit separatum, nec his rationibus impedientibus, Dominus jurisdictionis singulari concessionem gaudeat.

Prius vero, quam hunc locum relinquierimus, moneamus quaedam. Primum quidem dicendum: Quid sibi velit formula: die ein Besitzer eines Lehnsgutes nicht mit diesem, sondern absonderlich aquiriret. Intelligere possamus sub voce „mit diesem“ eodem tempore, uno eodemque pretio, eodem nomine s. nominatione, quin etiam pertinentias. At vix alia admitti potest interpretatio, ac ea, nempe: Si sunt pertinentiae feudi, aut uno eodemque pretio cum feudo continantur: partim enim rei ipsius natura, partim lex ipsa in sequentibus, ubi separatum horum honorum urget pretium, hanc veram esse interpretationem indicat. Quae de bonis allodialibus, cum feudo junctis, valent, intelligere etiam debemus de illis, que bonis equestribus, allodialibus, sive allodiis, equestriam virtutibus insignitis, sunt juncta. Eadem enim ratio occurrit. Neque etiam de cessione hypothecae alia ponit possunt principia, quam quae in oppignoratione posuimus. Id unum monuisse licet, si de tali oppignoratione et alienatione lites oriantur, quod in eo solum casu fieri solet, si creditor et contrahens sit domino jurisdictionis subjectus, et dominus contra illum agere ex hoc contractu velit, judicij Directorem tunc teneri verbis ordinat, proc. ut acta ad dicasterium mittat, nec ipsum posse ferre sententiam.

## OBSERVATIO JVRIS ECCLESIASTICI ELECTOR. SAXONICI.

*De honore precum et sedis in choro, et iudicis publici obaeratis patronis servando.*

**J**asunt juri patronatus jura onerosa, honorifica et utilia, quae partim ex natura juris patronatus, partim ex lege fundationis, partim ex lege reipublicae, partim ex observantia proficiuntur. Inter jura honorifica etiam sunt jura precum et iudicis publici, quae tam patrono, quam uxori, liberisque in po-

\* ) Quod partim ex natura horum honorum, partim ex Constit. Elect. P. II. Const. 23. parer. Wenn auch bona emphitevtica oder censitica, Erblehn- oder Erbzinsgüter, darüber ein Unterthan einen Lehnsherrn erkennen muss, oder die er sonst in Lehen zu empfangen versetzt oder verpfändet; sollen dieselben anderergestalt nicht, denn mit Gunst oder Bewilligung des Erb- oder Lehnsherrn hypotecirt werden, und ohne das die Verpfändung ganz nicht statt haben.

potestate illius constitutis, conceduntur. Quibus quidem patronus, quamdiu  
 aeri alieno haud succubit, sine dubio gaudet. At quid in patrono obae-  
 rato juris sit, id est, de quo dubitetur. Potest id dubium occurrere et ex jure  
 communi, et ex jure Saxonico. Ex jure communi: quoniam patronatum ex  
 illius mente exercet curator honorum, vel sequester, uti ostendit Esaias Passen-  
 dorfius. Ex jure Saxonico autem ob rescripta quaedam specialia ad consisto-  
 riuum Lipsiense d. d. 28. Jan. 1732. et 27. Sept. 1741. quae a jure communi  
 recedunt, et excipiunt in eo, ut in concursum creditorum obaerati patroni  
 in Saxonia non curator bonorum aut praediis sequester patronatum exer-  
 ceat, sed princeps per senatum ecclesiasticum pastoris et ludi magistri munus  
 conferat salvo possessorum jure. Possunt itaque haec item facile in eam ferre  
 opinionem, quod credat, etiam haec jura honoris tali patrōno haud compe-  
 tere. At cum in privandis juribus et prudentialia et aequitas praecripta sit Ju-  
 reconsultis, eorumque lex prima esse debet, ut legibus silentibus, ipsi legibus  
 ne sint duriores: jam utriusque sententiae argumenta ponderemus. Opinio  
 eorum, qui privandum hoc honore purant patronum, defendi potest his ra-  
 tionibus: Jus patronatus est reale; jam vero orto concursu necesse est, ut jura  
 realia fundum sequantur adeo, ut qui hunc administraret, etiam jus patronatus  
 exerceat. At primum non semper est jus patronatus jus reale, sed interdum  
 etiam personale, quam distinctionem probat I. H. Boehmer. in jure ecclesiasti-  
 co, nec non L. Boehmer in princ. I. Can. § 558. ed. 1762. et Hommel. in Epit.  
 Juris sacri c. 34. §. 2. adeo, ut ex natura juris potronatus vix plane decidi  
 possit haec quaestio. Fingas fero, uti saepius est, esse reale, quando scilicet  
 fundo inhaeret, quid tunc juris? Transit, inquis, ad creditorem pignoratitium  
 et antichreticum Jus patronatus: ex Cap. 15. X. de judiciis. Quid impedit,  
 quod his honoris juribus etiam patronus privetur, sub Patronatu comprehen-  
 sis? Primum credo hanc juris Canon. dispositiouem, quam forsitan jus Com-  
 mune aliqua ex parte securum est, e jure Germanico esse derivandam, ex quo  
 creditor pignoratitius dominus pignoris temporarius evasit, uti contra Sel-  
 chovium, qui hoc negat, plures et nuper Fischerus observarunt; quae vero  
 jure hodierno longe immutata sunt, et huc transferri non possunt. In hac  
 quaestione dubia puto plura distingui debere: Primum tempus orti et duran-  
 tis concursus, antequam immissus creditor, aut ipsi additus si fundus; deinde  
 tempus post immissionem et additionem; tandem jura, quae in patrona-  
 tus natura contineri videntur, quae essentialia dicuntur; et ea, quae talia non  
 sunt; et talia, quae si exerceri debeant, patroni personam requirunt. Quae,  
 si satis distinxeris, facilis erit decisio hujus quaestionis. De eo casu, in quo  
 de partibus Juris patronatus honorificis quaerimus, post additionem fundi,  
 dubium oriri haud potest, si jus patronatus fundo adhaereret tamquam reale,  
 quod dicunt; transiunt et jura essentialia et honorum ad novum dominum.  
 Id potius dispiciendum, quid durante concursu ante additionem de juribus  
 honoris



honoris patroni sentiamus? Primum itaque distinguenda censemus jura essentialia et quae talia non sunt. Ad jura essentialia proprie refertur jus nuncupandi et praesentandi. Vocatio enim jure Comuni vix inest nominationi et praesentationi, nisi speciali titulo et vi obseruantiae sit acquisitum hoc jus. Cap. 31. X. de jure patronatus. Carpzov. Jurisprud. Eccles. L. i. definit. 27. Just. H. Boehmer. in jure parochiali Sect. III. c. 1. §. 13. Quodsi etiam ex jure communi concedimus eorum sententiae, qui transire putant jus patronatus ad Curatorem aut praedii sequestrum; quod Esaias Puffendorf. IV. obs. 229. et Boehmer. in jure eccles. P. Lib. 3. tit. 38. §. 118. exposuit, id de exercitio iurium illius essentialium ad summum utilium intelligeremus, non de iis, quae ad domini personam stricte revocantur. Permanet enim ipsum dominium debitori usque dum peracta subhastatione publice addicuntur creditoribus bona. Carpzovius itaque non sine ratione adversatur juri communi in Synopli Jurisprud. eccles. Lib. I. Tit. IV. p. 19. Patronus, inquit, obaeratus, quamdiu manet dominus praedii oppignorari, retinet jus praesentandi, ut fructum juris patronatus, non praedii; nec excludi ab hoc jure a creditoribus debet, quamvis ipsi praesentanti creditores consentire possint: imo, si ad inopiam vergat patronus, ab ecclesia ipsi de alimentis prospici debet. c. 19. et cap. 25. X. de jure patronatus. Ideoque vix ipso jure communi aysim transferre jura honoris in curatorem honorum aut praedii sequestrum, sed ipsi patrono conservanda puto tam diu, quam de honore et fama ex lege haud periclitatur, neque iis privatur. Longe facilior esse videtur ex mente Juris Sax. Elector. eccles. causae decisio, adeo, ut ex ipsius sententia credam, statim in favorem patroni desiniri posse hanc quaestionem. Et enim Jure Sax. Ele<sup>ct</sup>. eccles. rescripta ad Consistorium Lipsiense d. d. 28. Januar. 1732. et d. d. 27. Sept. 1741. in patrono obaerato, ad cuius bona creditores concurrunt dividenda, jus constitueri pastorem et ludi magistrum senatu ecclesiastico tribuunt, salvo possessorum jure, ut creditores seu curator bonorum et praedii sequester essentialia jura patronatus vindicare sibi haud possint; quod absque dubio ideo disponitur, ut simonia, aliaque similia evitentur. Cum itaque ipsum jus Commune, si patrono obaerato hacc honoris jura eripiat, videatur in errore versari et Jus Sax. Ele<sup>ct</sup>. jura, superius allata tantum eximat; relicta videntur patrone jura honoris, quae præterea personae arctissime juncta, nec utilia quidem sunt, ut aliquid lucri ex eo possit emergere creditoribus. Manent itaque jura, honoris ex patronatu proficiscentia, quae supra nominavimus. Patrono, ipso juris assensu, nisi tamquam decolor dolosus aut fugitus, aut ex alia ratione infamia notatus sit. In qua sententia quoque consentientem habeo Cel. Hommelium qui in epitome Sacri juris p. 143. scribit: „Attamen precum et ludus publici honorem servandum puto etiam obaeratis, modo infamia notati non fuerint. Neque potest opponi huic sententiae §. 5. legis, de Banci ruptoribus latae, in qua de præcedentia inter pares publica disponitur, non de juribus honoris, ex alio fonte profluentibus.

Ve  
382

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Farbkarte #13

Cyan

Blue

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
Inches  
Centimetres

# OBSERVATIONES S SAXONICI ELECTORALIS CIVILIS ET ECCLESIASTICI.

TRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

## ROLO GOTTLLOB ROESSIG

P. E. ADVOCATO ELECTORALI IMMATICVLATO, SOCIETATIS OEC. LIPS.  
AE LVSAT. SVPER, MEMBRO HONORARIO, NEC NON HASSO-HOMBVR.  
CVM REGIA SVEC. HOLMIAE ET BAVARICO-PALAT. BVRGHVSANA  
MORVM ET OECONOMIAE IVNCTAE SOCIO

XIX. SEPTEMBER. A. C. ccccxxxviii.

DEFENDIT

## ERICVS AVGVSTVS WANCKEL

KELBRA - THVRINGVS.

L I P S I A E,  
EX OFFICINA BVESCHELIA.

BIBLIOTHECA  
PONCKAVIANA